



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius

Ginther, Anton

Augustæ Vindelicorum, 1733

VD18 12431648

Consideratio XXXVIII. Quomodo cum fructu de Christo crucifixo Salvatore nostro sit meditandum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)



CONSIDERATIO XXXVIII.

Quomodo cum fructu de Christo crucifixo sit meditandum.

Inspice, & fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est. Exod. 25. 40.

I.

I Inspice in monte Moria, qui nomen obtinuit *Dominus videt* illustrissimum exemplum & exemplar, quod universo orbi exhibuit Patriarcharum Princeps Abraham, dum jussu Dei filium suum Isaac in voluntatem divinam resignatissimum super unum altare immolare statuit: *Posuit eum in altare, & desuper ligna composuit.* Quidnam in hoc sacrificio magis sit admirandum, an patris, an virtus filii? nescit S. Chrysostomus, quem præferre debeat, quia ambo justii, ambo sancti & divinis præceptis obtemperatissimi, ille immolando, hic sicut agnus cum summo silentio patris gladium expectando; in cujus rei memoriam illic locorum, & passim inter omnes gentes statuæ & imagines fuerunt erectæ, hoc insigne facinus repræsentantes: *Vidi,* inquit D. Gregorius Nyssenus, *(apud descriptionis ejus (immolationis Isaac) imaginem, & sine lacrymis transire non potui, cum tam efficaciter, & ad vivum ob oculos historiam ejus rei poneret.*

Gen. 22. 14.

Cornel. hic,

Anima Christiana, si movet te hujus figuræ & antiquæ imaginis aspectus ad compatiendum, quanto magis te excitare & animare debet lamentabilis tui pientissimi Redemptoris in arâ crucis pro tuis delictis immolati aspectus & pia contemplatio? *Quisquis,* ait S. Cyrillus, *oculum animi in Christum affixum converterit, ab omni vulnere peccati illico curabitur, percutiet pectus suum, reversus per penitentiam ad Salvatorem.*

S. Cyrill. in
Evang. Joan-
nis 1. 8. c. 17.

2. Misit quondam DEUS Jeremiam Prophetam ad domum figuli, ut ibidem illius consideraret opera: *Surge, & descende in domum figuli, & ibi audies verba mea;* Et subdit Jeremias: *Et descendi in domum figuli, & ecce ipse faciebat opus super rotam, & dissipatum est vas, quod ipse faciebat è luto manibus suis: Conversusque fecit illud vas, sicut placuerat in oculis ejus,*

Jerem. 18. 2.

ejus, ut faceret. Quæres, quisnam per illum figulum fuerit adumbratus? **Quaresm. 20. R.** Doctissimus Quaresmius, unigenitus Dei Filius, qui fecit hominem de limo terræ, & postquam hoc vas per delictum dissipatum est, hic divinus figulus in cruce, velut in rota illud refecit, & melius renovavit sicut placuerat in oculis ejus. Sunt, qui per vas fractum & dissipatum etiam humanitatem Christi subaudiunt, heu quot vulneribus fracta & dissipata est! Inspice & considera eam in cruce pendentem cruentis spinis redimitam, ferreis clavis confixam, & crudeli lanceâ perforatam: *Profecit*, inquit B. Petrus Damiani, *non casu sunt quinque vulnera Salvatoris lanceâ & clavorum, sed quia nos jueramus quinque sensuum vulneribus sauciati, per has quinque plagas salutis sumus perpetua restituti.*

B. Dam. Card. serm. de Pass. Chr.

Exod. 3. 3.

S. Gregor. lib. 28. Mor. cap. 2.

2. Cor. 4. 10.

3. Moyses pastor ovium, sed mox futurus pastor populi Dei, cum oves suas in meridie ad interiora deserti minasset, derepentè vidit in monte Horeb rubum ardentem, sed tamen in medio flammæ incomburatum: *Vadam*, inquit, & *videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus?* Et ecce cum propius accedit, audit divinum oraculum: *Ne appropies huc: Solve calceamenta de pedibus tuis.* Et quare hoc? Locus ille erat petrosus & spinosus, potius, si non fuisset calcatus, illi injungendum fuisset, ut de novo calcaretur, ne illius offenderentur pedes?

4. S. Gregorius, quod per dictum rubum in igne prorsus illæsum nemo alius designatus sit, quam Christus JESUS & hic crucifixus: Subintrat hinc Cornelius à Lapide: *Verbum Dei, inquit, in rubo, est verbum Dei in cruce, quia utrobique inter spinas, videlicet in monte Horeb in figura, & in Calvario monte in figurato, ubi inter spinas cruentas passionum & dolorum singulariter ejus immensa & ardens, illæsa & incombusta elucebat charitas.*

Quod autem Moyses jussus fuerit, ut calceamenta sua detraheret, si propius ad hunc rubum & insolitum prodigium vellet accedere, ut sic non absque læsione pedum, puncturis spinarum & cruoris effusione ad Filium Dei, qui tunc in rubo representabatur, veniret, significatum fuit, ut, qui propius ad crucifixum JESUM per meditationem vult accedere, prius solvat calceamenta carnalium & secularium cogitationum, & sic bene dispositus juxta exemplum, quod Moyses in monte Horeb monstravit, per mortificationes & pœnalitates ad Christum amorem suum crucifixum accedat: *Mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes, ut & vita Jesu manifestetur in corporibus nostris, semper enim nos, qui vivimus, in mortem tradimur propter Jesum, ut & vita Jesu manifestetur in corporibus nostris.* O quam pauci hoc faciunt, & intelligunt!

4. Vide.

3. Videamus nunc modum, quomodo crucifixum JESUM cum fructu possimus meditari; Est autem Meditatio oratio mentalis, quæ memoriâ, intellectu & voluntate perficitur circa aliquod mysterium fidei, vel factum Christi ac Sanctorum, vel aliquam virtutem aut vitium &c. Partes meditationis sunt. 1. Preparatio, ut seposito omni terreno affectu & curâ te in conspectum Dei constituas, animum colligendo, & ad id unum, quod agendum est, te applices. 2. Ut præmittas aliquam brevem orationem, quâ gratiam petas cum fructu meditando v. g. *Veni Sancte Spiritus &c.* 3. Pro imaginatione loci potes tibi ob oculos ponere montem Oliveti, in quo Christus sanguinem sudavit, montem Sion, in quo sita est civitas Hierosolyma, ubi accusatus, flagellatus, spinis coronatus, & ad mortem condemnatus est, montem Calvariæ, ubi Salvator tuus infami crucis ligno inter latrones affixus est; divide meditationem in tria puncta, prout moris est, adjuge pios affectus, ac tandem colloquium ad crucifixum JESUM. Talis meditatio, vel etiam simplex passionis Christi memoria, ait B. Albertus M. plus utilitatis homini adfert, quàm si anno integro in aqua & pane jejunaret, vel flagellis se quotidie usque ad sanguinem caderet, aut totum psalterium quotidie recitaret.

B. Albert. citatus à Lyrazo & aliis.

5. Subjungo hîc tibi modum summo cum fructu meditando crucifixum JESUM, quem Sidronius de Hofche S. J. elegantibus versibus complexus est: Lege attentè, & considera.

Quis patitur? rerum Dominus, de Numine Numen.

Quid patitur? lacero corpore mille neces.

Pro quibus? ingrata pro turbâ, & gente rebelli.

Cur? nos carnifices servet ut ipse suos.

Quis locus? infamis pœnis, & morte nocentum.

Quando? cum poterant facta probare Deum.

A quibus? à notis, & avito sanguine junctis.

Quomodo? non servans ullum in amore modum.

Audis hoc, & consideras, anima Christiana, quid hætenus optimo ac pretiosissimo Redemptori tuo rependisti? heu vix aliquid boni, sed plurimum mali pro tot ac tantis bonis, & etiamnum perges peccare in Dominum ac Deum tuum, illumque de novo cruci tradere?

Quomodo, dicebat quondam Joseph Ægyptius, *possum hoc malum facere,* Gen. 19. 9.

Et peccare in Deum meum? Et tu audes?

6. Addo & praxim generalem, quomodo quodlibet Dominicæ passionis punctum, ac præsertim crucifixum Dominum nostrum summo cum fructu possimus meditari, cum adjunctis piis affectibus, qui in tali meditatione sunt excitandi. Exemplum sit de crucifixione Domini.

Gimber Unus pro omnibus.

T

Fides:

Fides: Credo, ac firmissimè teneo omnium conditorem DEUM, ac hominem Christum, DEUM summæ majestatis propter nos homines, ac propter nostram salutem adeò se ipsum exinanisse, ut latronis instar infami patibulo affigi sit dignatus. O portentum amoris!

11a. 54. 2.

Admiratio. Fierne potuit, ut pro tam ingratis homuncionibus, qui tantam Dei sui charitatem non agnoscent, imò contemnent, tanta majestas adeò se demittere voluerit? O abyssum charitatis! verè mi Domine, in charitate perpetua dilexisti me, & in misericordia sempiterna misertus es mei.

Spes. Verùm cum charitas tua infinita eò etiam meâ causâ adduci potuerit, quid est, Domine Deus meus, quod ab immensa illa tua charitate meritò sperare non possim? qui tradidisti temetipsum pro me, quomodo non tecum omnia donasti?

Gratitudo. Quid interim rependam, Domine, immensæ charitati tuæ? Si meipsum tibi millies dederò, quid dabo, quod non sit tuis etiam infinitis tuum? Sed & quas gratias agam? *Dignus es Domine, accipere omnem divinitatem & gloriam &c.*

Charitas. Utinam, Domine utinam tanto tuo in me amori dignè possem respondere aliquid saltem amoris! Omnino si mihi tot forent corda, quot habent omnes homines, imò si tot forent, quot sunt in cælo stellæ, in aëre atomi, in mari guttæ, in terra arenæ, ex illis & omnibus, & totis vellem te amare ex toto corde, ô Amor! & omne bonum meum.

Contritio. Sed heu Domine, quàm infinitis illis tuis amoribus malè respondi hætenus! heu cur te toties offendi DEUM ac Redemptorem meum! ah doleo, ah Domine, ex toto corde doleo; ideoque solum, quia tu es omni amore dignissimus. O si te nunquam offendissem; ô si nunquam! ô si nunquam!

Zelus animarum. Heu quot etiam hac horâ offendunt te Domine, quot tantis tuis laboribus sibi partam salutem negligunt? nunquid etiam eos in tuis manibus descripsisti, Domine Deus! Lege igitur scripturam, & salva eos: tui sunt.

Compassio. Sed & cum te contemplor, bone JESU, quàm acerba est tua in cruce paupertas, quam amarus contemptus, quam atrox dolor!

Imitatio. Verùm, Domine, quomodo te videbo in cruce nudum, & ego quæram divitias? quomodo videbo te contemptum, & ego ambiam magnificeri? quomodo videbo te confectum doloribus, & ego carnis commoda sectabor? non, non Domine: *Absit mihi gloriari, nisi in cruce D. N. Jesu Christi.*